

**EVANGE=||LIA || QVAE CONSVETO || MORE DOMINICIS ET ||  
alijs Festis diebus in Eccle-||sia leguntur**

**Aemilius, Georg**

**COLONIAE, 1555**

Ad Evndem Clarissimvm Virvm Doctorem Echtium, Elegia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69317](#)

AD EVNDEM CLA  
RISSIMVM VIRVM DOCTO-  
rem Echtium, Elegia.

Docte Machaonias Echti curare per artes,  
Nomina Bacchouij qui genitoris habet,  
Cuius ad undantem notissima gloria Rhenum,  
Fertur ad Eoas occiduasque plagas.  
Accipe de sacro deductum fonte libellum,  
Nomine qui gaudet se decorare tuo.  
Accipe, nec tenues, ideo contemne Camœnas,  
Quod uix digna tua carmina laude ferant.  
Sunt humiles fateor, nullumque merentur honorem.  
Debuerunt potius nocte silente premi.  
Sed quia sacra ferunt paruo conscripta Libello,  
Hac solūm sperant parte placere tibi.  
**Euāgelia.** Scilicet in templo, que festa luce sacerdos  
Explicat, ad plebem uoce tonante suam:  
Fontibus ē sacris quoniam sunt omnia sumpta,  
Et uitam Christi miraçque gesta docent,  
Impulit idcirco nostras ea cura Camœnas:  
Talia ut heroo carmine uersa darent.  
Seruīt imprimis nostræ labor ille iuente.  
Disceret ut Musæ, ipsaque sacra simul.  
**Nec scelus est** molli cœlestia dogmata uersu  
Claudere: non ullum res habet ista malum.

Perg

## A ELEGIA

Perlege scripture mysteria, carmine Mosen  
Inuenies grates persoluisse Deo.  
Aspice Dauidem Psalmorum sacra canentem  
Carmina, cum resonum pollice tangit ebur.  
Nec tantum numeris laudat quoq; uoce tonantem,  
Versibus harmonicos applicat atq; modos.  
Carmina sunt munus diuum, sacrisq; canendis,  
Diuinum uates undiq; nomen habent.  
Si seruire Deo debent quaecunq; creatas:  
Cur quoq; non illum carmina nostra colant?  
Sed nulli spero suberit mens inuidare recto,  
Improbet ut uersu reddita sacra meo.  
Atq; utinam tantis & equalia carmina rebus,  
Illi ex minima dignaq; parte forent.  
Pro facto tamen interdum conatus habetur,  
Sepius in magnis & uoluisse sat est.  
Nos igitur cœpto tentauimus ista labore,  
Duximus ad finem cœptaq; nostra suum.  
Inde quid effectum nobis, uel quid sit omissum,  
Iudicium doctos hoc penes esto uiros.  
Hanc tibi censuram medicorum summa relinquo  
Gloria, tu iudex carminis huius eris.  
Quicquid & hic statues, nobis per cuncta placebit,  
Arbitrij stabo uoce cadamq; tui.  
Et quoniam ante alios excellis in arte medendi,  
Nec minus antiquo Peone nomen habes,

Te



## ELEGIA

Te precor ut nostro quæ sunt errata libello,  
Dignere his medicas applicuisse manus.  
**N**ō opus emplastris, procul hinc catapotia cessent:  
Non ego pastillos hac mihi parte uelim.  
**O**fficio tantum calamus fungatur amico,  
Deleat errores æqua litura meos.  
**E**t potes, & debes nostras censere Camœnas,  
Proderit his limam sustinuisse tuam.  
**Q**uin etiam fidum te conuenit esse patronum  
Carminis auctori, carminibusq; simul.  
Inuida non deerit censorum turba malorum,  
Hoc quibus in promptu carpere & illud erit.  
Nec quia sacra canunt, sacrorum propter honorem  
Carminibus parcer liuida lingua meis.  
**A**h quoties dentem torquebit Zoilus atrum.  
Versibus ut nostris uulnera saeuia ferat.  
**A**rguimus cuncti, non emendamus amicè,  
Cernimus errores, tollere nemo iuuat.  
**I**n uicio alterius, ceu Lynceus alter, acuti,  
In nostro segnes, cæcaq; talpa sumus.  
Ergo tibi nostri sit tradita cura libelli,  
Tuta patrocino sint mea scripta tuo.  
**S**ic ego dum uiuam uestro propensi honoris,  
Et meriti gratus debitor huius ero.  
**Q**uod superest, multos fatis tribuentibus annos,  
Perpetuoq; foelix incolumisq; Vale.